Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et estote amici principum. Respondit audifax filius maior et dixit. Stultam rem locutus es. Dixit Muscianus ad marium. martham. et abacuch. Vos quid dicitis. Responderunt omnes quasi uno ore locuti sunt. Muscianus iratus iussit expoliari eos et fustibus cedi. martham vero stare ante eos. Qui dum cederentur. Muscianus sub voce preconia dixit. Precepta principum contempnere nolite. Martha gaudens dicebat. Filii mei constantes estote. Marius vero laudabat dominum dicens. Gratias tibi domine ihesu christe. qui dignatus es nos dinumerare cum servis tuis. Iratus Muscianus iussit ignem ad latera eorum poni. et ungulis ferreis radi. Illi autem vultu alacri leti clamabant. Gratias tibi domine agimus. Muscianus iussit eos deponi de eculeo. in conspectu marthe. et manus eis precidi. Et dum manus eorum precise fuissent. cepit sanguis emanare. Martha autem colligens sanguinem mariti et filiorum. caput suum et faciem liniebat cum gaudio. Tunc iussit ut manibus ad colla ligatis sic per civitatem circumirent sub voce preconia dicens. Deos blasphemare nolite. Clamabat enim marius audifax et abacuch. Non sunt dii demones. qui vos perdere habent. et principem vestrum. Eodem die dedit sententiam ut decollarentur. Qui ducti via cornelia miliario tercio decimo ad nimphas catabassi in eodem loco decollati sunt sub arenario. marius. audifax. et abacuch. martha vero in nimpha necatur. Quorum corpora statim iussit incendi. ne sepulturam haberent. Matrona vero nomine felicitas rapuit corpora eorum semiusta. et in predio suo sepelivit. martham vero levavit de puteo. et iunxit corporibus sanctis sub die quarto decimo kalendarum februariarum. ubi prestantur beneficia domini nostri ihesu christi usque in hodiernum diem. prestante eodem domino nostro ihesu christo. qui vivit et regnat cum patre et spiritu sancto in secula seculorum. amen.

Passio beate agnetis virginis.

AMBROSIUS Servus christi virginibus sacris. Diem festum sacratissime virginis celebremus. hinc psalmi resonent. hinc concrepent lectiones. hinc populorum turbe letentur. hinc sustententur pauperes christi. Omnes ergo gratulemur in domino. et ad edificationem virginum qualiter passa sit agnes beatissima ad memoriam revocemus. Tertio decimo etatis sue anno mortem perdidit et vitam invenit. quia solum vite dilexit auctorem. Infantia computabatur in annis. sed erat senectus mentis inmensa. corpore quidem iuvencula. sed animo cana. Pulchra facie. sed pulchrior fide. Que cum a scolis reverteretur. a prefecti urbis filio adamatur. Cuius parentes dum requisisset et invenisset. cepit offerre plurima et plura promittere. Denique detulit secum preciosissima ornamenta. que velut quedam stercora recusata. Unde factum est ut iuvenis maiori perurgetur stimulo. et putans eam meliora ornamenta velle accipere. omnem lapidum preciosorum secum defert gloriam. et per se ipsum et per amicos et notos et affines cepit aures virginis appellare. et divitias. domos. possessiones. familias. atque omnes mundi facultates promittere. si consensum eius coniugio non negaret. Ad hec beata agnes tale fertur iuveni dedisse responsum. Discede a me fomes peccati. nutrimentum facinoris. pabulum mortis. cum omnibus que tua sunt. quia iam ab alio amatore preventa sum. qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta. et anulo fidei sue subarravit me. longe te nobilior et genere et dignitate. et ornavit me inestimabili dextrocherio dextram meam et collum meum cinxit lapidibus preciosis. tradidit auribus meis inestimabiles margaritas. et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in faciem meam. ut nullum preter eum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta. et inmensis monilibus ornavit me. Ostendit mihi thesauros inconparabiles. quos mihi donaturum se si ei perseveravero repromisit. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris vel aspicere alium. et illum derelinquere cum quo sum caritate coniuncta. cuius est generositas celsior. possibilitas fortior. aspectus pulchrior. amor suavior. et omni gratia elegantior. A quo mihi iam thalamus collocatus est. cuius mihi organa modulatis vocibus resonant. cuius mihi virgines iucundissimis vocibus cantant. Iam mel et lac ex eius ore suscepi. iam amplexibus eius castis astricta sum. Iam corpus eius corpori meo sociatum est. et sanguis eius ornavit genas meas. Cuius mater virgo est. cuius pater feminam nescit. cui angeli serviunt. cuius pulchritudinem sol et luna mirantur. cuius odore reviviscunt mortui. cuius tactu confortantur infirmi. cuius opes numquam deficiunt. cuius divitie non decrescunt. Ipsi soli servo fidem. ipsi me tota devotione committo. Quem cum amavero casta sum. cum tetigero munda sum. cum accepero virgo sum. Nec deerunt post nuptias filii. ubi partus sine dolore succedit. et fecunditas cotidiana cumulatur. Hec audiens insanus iuvenis amore corripitur ceco. et inter angustias animi et cor-